



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Cap. II. De Excommunicatione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**

exteriùs ac si non esset absolutus; potestque conveniri coram iudice, & ab eo cogi ad subeundam omnem pœnam Censuræ annexam: quia absolutio data tantùm pro foro conscientiæ non habet effectum nisi coram Deo.

10. Invalida est absolutio per vim vel metum injustum extorta etiam à tertio, imò extorquens contrahit excommunicationem, c. unico 1. de iis quæ vi, &c. in 6. ex Conc. Gener. Lugdun. Item nulla est, si extorta sit per dolum versantem circa causam finalem; quia Superior non vult absolvere, nisi ob causam sibi propositam: quæ tunc non subsistit, nec proinde subest voluntas absolvendi: nam sublato motivo seu objecto formali volitionis non est volitio.

## CAPUT II.

### *De Excommunicatione.*

Q. 1. Quid & quotuplex est?

Resp. Excommunicatio est Censura, per quam baptizatus privatur Communione Ecclesiæ, seu bonis quæ sunt communia inter fideles, quæque pendent à potestate & dispensatione Ecclesiæ, ut sunt Sacramentorum receptio & administratio, Ecclesiæ Suffragia, divina Officia, &c. duplex est major, & minor.

Excommunicatio major, (quæ sola venit nomine excommunicationis simpliciter, c. 59. de sent. excom.) est Censura, quâ quis privatur  
omni-

omnibus bonis communibus Ecclesie & ejus dispensationi subiectis, & abscinditur à corpore Ecclesie juxta illud, Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus.*

Excommunicatio minor est ea, quæ privat ex parte, seu aliquibus tantum bonis communibus Ecclesie, nempe receptione & administratione licitâ Sacramentorum, & passivâ electione ad dignitates ac Beneficia. Hæc contrahitur solum ob communicationem culpabilem, etiam in civilibus, cum excommunicatio non tolerato, c. 3. *de sent. excom. in 6.* ex Conc. Gener. Lugdun. & Sanchez, dicit omnes sentire eam ob peccatum veniale contrahi. Qui tamen cum eo communicavit in crimine criminoso, idest, ob quod contracta est Censura, consilium, auxilium vel favorem impendendo, incurrit excommunicationem majorem, *cum facientem & consentientem par pœna constringat, c. 29. de sent. excom.* A minore excommunicatione absolvere potest, quicumque potest à mortali culpa, cum non sit reservata, ex eod. cap.

*Q. 2. Quinam sunt Excommunicati vitandi?*

*Resp.* Olim omnes erant vitandi. Sed jam ex Constitutione Martini V. *Ad evitanda.* à Conc. Constantiensi, teste S. Antonio approbata, & jam pridem ubique observata, atque ex usu præsentis Ecclesie, ii solum sunt vitandi. qui per sententiam Judicis Ecclesiastici nominatim declarati sunt excommunicati, & publice

blicè denuntiati item notorii percussores Clericorum, hoc est ii, quorum percussio publica nullâ potest tergiversatione celari, nec ullo juris suffragio excusari, licet non sint denuntiati. Equidem juxta Conc. Basiliense sess. 20. & Bullam Leonis X. de Concordatis approbatam à Conc. Later. 5. vitandi sunt etiam omnes, quos notoriè in excommunicationis sententiam constiterit incidisse. Sed ex usu prævalet Bulla Martini V. quæ quidem non extat in actis Conc. Constantiensis, sed refertur à S. Antonino 3. p. Tit. 25. cap. 3. Unde excommunicati alii sunt tolerati, quos scilicet fideles non tenentur vitare: & alii non tolerati, quos tenentur vitare, nempe nominatim & publicè denuntiati, vel notorii percussores Clericorum. Varii Doctores Galli dicunt publicum Clerici percussorem in Gallia vitari non debere, nisi accesserit sententia quâ declaratur injustus Clerici percussor: quia secundum legem vel consuetudinem regni, ad notorietatem facti criminosi requiritur declaratoria Judicis sententia.

Q. 3. *Quinam sunt effectus Excommunicationis majoris?*

Resp. Sunt septem, nam excommunicatus etiam toleratus & contritus. I. Privatur communibus Ecclesiæ suffragiis, scilicet Sacrificiis, Orationibus, Indulgentiis: ita ut non liceat Sacerdoti tanquam Ecclesiæ Ministro, & nomine Ecclesiæ pro illo Sacrificium, nec preces

in Sacrificio, nec Horas Canonicas offerre: quæ si pro illo fiant, non ei profunt. ex c. *Sacris, de sent. excom.* & c. *audi* & c. *omnis*. I. 1. q. 3. nam Ecclesia, hoc ipso quod privat aliquem communibus suffragiis, prohibet ne pro illo applicentur.

Porro per communia illa suffragia intelliguntur spiritualia quædam subsidia, quibus Ecclesia suffragatur suis membris, sive in ordine ad satisfactionem pro pœna temporali sive in ordine ad impetranda aliqua bona præsertim spiritualia vel quæ ad illa juvent. Revocanturque ad Sacrificium Missæ, orationes & indulgentias. Potest tamen quis privatus preces & Sacrificium, & alia opera nomine privato seu tanquam persona privata pro eo offerre: quia hæc sunt suffragia privata. Item secundum multos licet Sacerdoti tanquam personæ privatæ *in memento* pro eo mentaliter orare; sed non per orationes quæ Ecclesiæ nomine pro ejus membris dicuntur, nec ut Minister Christi; nemini enim licet Ecclesiæ suffragia etiam pro tolerato offerre; alioqui tolleretur præcipua pœna & ratio excommunicationis; & quia Constitutio Martini V. nullum favorem toleratis concedit, ergo ii, nunc ut antea, excluduntur à suffragiis Ecclesiæ.

2. Privatur receptione & administratione Sacramentorum, ita ut mortaliter peccet, si aliquod recipiat, vel sine necessitate & non requisitus administret. Quia ageret contra prohibitionem Ecclesiæ in re gravi ad religionem

pertinente, ex c. 59. de sent. excom. & c. 4. & 6. de clerico excom. Unde non potest absolvi à peccatis, nisi prius fuerit ab excommunicatione absolutus.

Item ei non licet sub mortali interesse sacro, aut divino officio, c. alma. 1. de sent. excom. in 6. quòd si facilè possit absolutionem à Censura sibi comparare, & non conetur, omissio Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ, imo & Missæ. dum urget præceptum, ei ad culpam mortalem imputabitur; quamvis in tali statu teneatur ab illis abstinere. Quia lex præcipiens aliquid, præcipit etiam media ad illud necessaria, saltem non valde difficilia, qualis est Censuræ remotio, ad quam aliunde tenetur. Potest tamen concionem audire, c. 43. de sent. excom. sed finitâ concione tenetur recedere, ne cum aliis communicet.

Si autem sit obligatus ad Horas Canonicas, tenetur eas solus recitare, non quidem ut persona publica & ab Ecclesia legata; cum sit ab ejus corpore abscissus, saltem jure si sit toleratus, sed ut persona, privata: par enim non est, ut quis commodum ex suo delicto percipiat. Deinde excommunicatio cum sit pœna, non debet obligationem & onus auferre, & immunitatem conferre. Sed ei non licet adhibere socium, nam omnis communicatio cum alio est ei prohibita, præsertim in orationibus; nec ei licet dicere: *Dominus vobiscum*; quia hæc verba significant publicæ personæ sacram cum populo communicationem, quæ ei interdicta

est: quare ejus loco debet dicere: *Domine exaudi orationem meam, &c.*

3. Est inhabilis ad dignitates, & Beneficia accipienda, ita ut resignatio, electio, præsentatio, collatio, permutatio; & quælibet alia Beneficii provisio facta in favorem excommunicati etiam tolerati, & acceptatio sit nulla *c. 7. de cleric. excom.* Item est inhabilis ad pensionem Clericalem; nam communione Ecclesiæ privatus, est incapax recipiendi bona Ecclesiæ dispensationi commissa. Idque constat ex usu, & stylo Curia, nam in litteris Pontificis apponitur absolutio ab excommunicatione ad hunc effectum. Quare qui in excommunicatione obtinuit Beneficium aut pensionem Clericalem, non potest percipere fructus, & si perceperit, tenetur eos restituere; nec potest tale Beneficium permutare, aut resignare in favorem. Quia nullum jus ad Beneficium, pensionem & fructus habet, cum ejusmodi collatio sit nulla. Idque licet ignoretur excommunicatio, quia ignorantia invincibilis, licet excuset à culpa, non tamen facit actum validum, qui erat aliàs invalidus; nam actus non potest esse validus sine omnibus requisitis ad ejus valorem.

Imò excommunicatus quamvis Beneficio ante obtento non privetur, & ideò ad horas obligetur ratione illius, potest tamen eo privari; & non facit fructus suos durante excommunicatione, ideòque eos omnes ac distributiones restituere tenetur ante omnem sententiam.

am. Ita Covar. Suarez, Tolet. & alii multi, ex c. 53. de appellat. Ibi. *illi proventus Ecclesiastici merito subtrahuntur, cui Ecclesiæ communicatio denegatur.* Hanc autem privationem ipso facto latam esse, docet valde communis sententia, tum quia vox *subtrahuntur*, significat factum ex vi Censuræ, non præceptum de imponenda illa pœna: tum quia hæc privatio fructuum æquiparatur ibi privationi communionis Ecclesiæ; nec suspenditur per appellationem ab excommunicatione, ibid. *Ita Suarez.*

4. Privatur omnis spiritualis jurisdictionis usu, ita ut peccet mortaliter, si ordinet, Censuras vel leges ferat, dispenset, conferat Beneficia, ad ea eligat, instituat, præsentet, &c. c. 24. *de sent. & re judic.* tamen actus jurisdictionis, si toleratus sit, sunt validi ob bonum commune, ex constit. Martini V. cit. ubi dicitur posse ab excommunicatis toleratis recipi Sacramenta.

5. Excommunicato etiam tolerato interdicitur omnis communicatio cum fidelibus, c. 18. 29. & 59. *de sent. excom. & c. alma.* hoc Tit. in 6. & c. 2. *de except.*

Primò quidem in rebus Sacris, ut in Missæ Sacrificio, & aliis divinis Officiis, quo nomine comprehenduntur Horæ Canonicæ, omnis Oratio publica, Processio, Benedictio, aliæque similes actiones sacræ, quæ solemniter fiunt ex institutione Christi vel Ecclesiæ, aut propriæ sunt alicujus Ordinis Clericalis.

Qq 3

Quòd



Quòd si excommunicatus in Ecclesia divinis Officiis interfit, si toleratus sit, non debent intermitti Officia; quia non est vitandus: si verò sit nominatim denunciatus, monendus est à celebrante ut exeat; quòd si non pareat, incurrit novam excommunicationem Papæ reservatam, sicut & alii qui prohibent ne exeat, *Clement. 2. de sent. excom. & tunc si commodè fieri potest, vi expellendus est: si nequeat expelli astantes exire tenentur, ne cum illo communicent; & ipse Sacerdos tenetur Missam inchoatam abrumpere, si nondum incepit Canonem: si incepit, debet solo Ministro manente pergere usque ad Communionem inclusivè, & reliqua perficere in Sacristia. Sacerdos autem scienter celebrans coram excommunicato vitando, peccat mortaliter, & ligatur interdicto ab ingressu Ecclesiæ, c. 8. de privil. in 6.*

Secundò in Actionibus forensibus, ita ut excommunicatus nequeat esse Judex, Procurator, Actor, Tabellio, testis, &c. nec liceat tales actiones exercere, c. 8. de sent. excom. in 6. ejus tamen Acta valent si sit toleratus & non repellatur: secùs, si non sit toleratus.

Tertiò in actionibus civilibus, juxta hunc versum.

*Os, orare, vale, Communio, mensa negatur.*

*Os, Significat colloquium, allocutiones sive nutibus, sive verbo aut scripto, & quævis amicitiae signa, ut oscula, amplexus, &c. Orare, idest*

id est communicatio in orationibus & divinis Officiis, *Vale*, significat salutationes urbanas verbo, nutu, aut alio signo, *Communio*, id est, omnis societas, quæ habetur in communi habitatione, in contractibus, negotiis, & aliis actionibus: ita ut non liceat cum eo contrahere, laborare, iter facere, aut quodvis opus præstare. *Mensa*, denotat omnem convictum & convivium. Ecclesia autem, utpote communitas perfecta habet potestatem, non minus quam quælibet alia, subditos sibi non obsequentes à reliquorum consortio segregandi; & eam utitur, tum ne rebelles criminis contagione alios inficiant, tum ut ipsi tantò magis pudefacti citius resipiscant, tum ad exemplum & terrorem aliorum.

Licet tamen extra divina Officia communicare cum non tolerato, in his casibus in jure exceptis, ut c. *Quoniam*. 11. q. & hoc versu contentis.

*Utile, lex, humile, res ignorata, necessè.*

1. Itaque causa excusans est utilitas spiritualis etiam ipsius excommunicati, cum scilicet id expedit ad ejus salutem ut ad meliorem frugem reducat c. 43. de sent. excom. Item alterius utilitas temporalis notabilis, v. g. ad perendum consilium, subsidium, vel solutionem debiti; non tamen ad denuo contrahendum, ex c. 34. eod. tit. 2. Est lex nempe conubii, quæ jubet ut conjuges mutua sibi officia præstent. 3. *Humile*. sunt officia filiorum erga parentes, & famulorum erga Dominos, si serviebant.

Qq 4

viebant.

viebant ante excommunicationem; item inferiorum erga Superiores quoad ea quæ spectant ad communicationem necessariam iis qui habitant in eadem familia, &c. 4. Est ignorantia juris vel facti. 5. Est casus necessitatis animæ vel corporis alterutrius, v. g. ad comparanda victui necessaria, &c. Item necessitas auxilii, consilii, vel refugii. 6. Effectus est irritatio gratiarum Apostolicarum, c. 1. de rescript. in 6. Quare Papa in suis rescriptis præmittere solet absolutionem ab omnibus Censuris duntaxat ad effectum gratiæ ab ipso concessæ. Quæ si omitteretur in rescripto, irrita esset gratia concessa excommunicato. Non ideò tamen legitimè possidetur Beneficium per resignationem simoniacam in Curia Romana obtentum sub illa absolutione ad effectum; quia talis provisio est nulla, cum sit obreptitia, & contra intentionem Papæ obtenta; & irrita independenter à Censura.

Not. Hæc omnia jura & pœnæ etiãnum vigent: ita ut quivis excommunicatus, etiam toleratus & occultus, peccet, dum communicat cum fidelibus in actionibus sacris vel profanis, aut actum quemlibet supradictum exercet. Nam Leo X. in Bulla cit. à Conc. Later. 5. sess. 1. approbata expressè declarat, se per suum decretum *non intendere excommunicatos, suspensos & interdictos in aliquo revelare, nec eis quomodolibet suffragari.* Quod jam declaraverat Conc. Basil sess. 20. & antea Martin. V. ut passim testantur Doctores, quamvis hoc non

non legatur apud S. Antonin. potest tamen excommunicatus excusari ob impotentiam moralem, ut si non possit abstinere ab hac communicatione sine scandalo vel gravi damno, ut infamia gravi quando crimen est occultum; quia præcepta Ecclesiæ ordinariè non obligant cum gravi damno. Fideles autem non peccant communicando cum excommunicatis toleratis: secùs, si non sint tolerati, ex ead. constit.

7. Excommunicatus non toleratus privatur Ecclesiastica sepultura, ita ut non liceat in loco sacro eum sepelire; etsi sepeliatur, debeat exhumari, si ab aliorum corporibus discerni queat, c. 12. de sepult. ibi: *Sacris est Canonibus institutum, ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis: Et ut careant Ecclesiasticâ sepulturâ, qui priùs erant ab Ecclesiastica unitate præcisi, nec in articulo mortis Ecclesiæ reconciliati fuerint.*

*Sed quid, si excommunicatus resipuerit, & per contritionem perfectam justificatus fuerit?*

*Resp.* Semper manet obnoxius his pœnis, donec absolutus sit, c. *Sacris, de sent. excom.* quia Censura, quamdiu manet, habet effectus suos. tamdiu autem manet, quamdiu non tollitur per absolutionem; & alioqui non esset opus absolutione.

*Q. 4. An est mortale communicare cum excommunicato non tolerato?*

*Q. 5*

*Resp.*

*Resp.* Ex S. Thom. & ex communi sententia est mortale communicare in rebus Sacris, ut Officiis divinis, c. 29. causa. 11. q. 3. nam materia gravis est, & valdè repugnat tum auctoritati & fini Censuræ, tum etiam dignitati rerum sacrarum: sed solum veniale est in aliis, nisi in crimine ob quod alter excommunicatus est, vel nisi sit contra speciale præceptum Superioris, vel cum scandalo aut contemptu legis, ut si communicatio esset frequens: quia, inquit, communicatio in rebus civilibus non censetur hîc materia gravis, nam non repugnat graviter fini excommunicationis, nisi sit frequens.

Communicans autem cum excommunicato in crimine criminoso, hoc est, cooperans culpæ vel contumaciæ ob quam lata est excommunicatio, v. g. præbendo consilium, auxilium vel favorem, semper peccat mortaliter, & eandem incurrit excommunicationem, c. 29. & 55. *de sent. excom.* quia faciens & consentiens pari poenâ puniri debent.

*Q. 5. Quinam sunt effectus Excommunicationis minoris?*

*Resp.* Tres sunt. 1. Privatio seu prohibitio receptionis Sacramentorum, c. 59. *de sent. excom.*

2. Privatio passivæ electionis ad dignitates & Beneficia. Quare illâ ligatus peccat graviter, si scienter recipiat Sacramentum vel Beneficium: quia violat præceptum Ecclesiæ in re gravi.

gravi. Non fit tamen irregularis; nec electio aut provifio est irrita, fed folùm irritanda, c. ult. de Cleric. excom.

3. Privatio adminiftrationis licitæ Sacramentorum, ex eod. cap. ubi dicitur: *peccare conferendo Ecclefiaftica Sacramenta.*

**Q 6.** *Quanam funt Excommunicationes refervatæ Papæ, & Epifcopis?*

*Resp.* Circa hoc confuli debet propriæ Diœcefis Rituale. Hic tamen operæ pretium eft explicare Excommunicationem contra percuffores Clericorum à Conc. Gener. Later. 2. can. 15. latam his verbis. *Placuit ut fi quis fuadente diabolo hujus facrilegii reatum incurrit, quod in Clericum vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat; & nullus Epifcoporum illum præfumat absolvere, nifi mortis urgente periculo, donec Apostolico confpectui præfentetur, & ejus mandatum fufcipiat.*

1. Nemo cujusvis ordinis, dignitatis, fexûs, ftatûs ab ea eximitur, ne impubes quidem rationis compos. Imò hanc incurrant mandantes, consentientes, & confulentes, effectufecuto, item non impediētes, fi ex officio ad hoc teneantur, vel fi potuerint impedire fine damno periculo ve fuo, & dolosè permiferint, c. 47. de fent. excom. Item ratam habentes percuffionem fuo nomine factam, etiamfi non confuluerint nec mandaverint, c. 23. de fent. excom. in 6. Item Clericus feipfum vulnerans ex malitia feu paffione: fecûs fi ex devotione.

2. Per

2. Per Clericum intelligitur quilibet primâ saltem tonsurâ initiatus, modo habitum gestet Clericalem, etiam conjugatus modò cum unica virgine, c. un. *de Cler. conjug. in 6.* per Monachum intelliguntur omnes utriusque sexûs religiosi c. 33. *de sent. excom.* etiam Laici conversi ibid. c. 5. *de sent. excom.* & novitii c. 21. eod. tit. in 6. Item Eremita subiectus alicui regulæ & Superiori Ecclesiastico & habitans in oratorio auctoritate Episcopi.

3. Instigante diabolo, hoc est, illicitè & injustè.

4. Per has voces, *manus violentas injecerit* intelligitur quævis actio corporalis, de se violenta, injuriosa, ac contumeliosa circa Clericum, vel Religiosum, aut res ei adhærentes, per se sufficiens ad gravem injuriam contra honorem, & reverentiam debitam tali personæ, sive fiat manu, sive baculo, gladio, lapidibus, &c.

Hinc ipso facto excommunicatus est 1. qui talem percutit, vulnerat, conspuat, evellit crines lacerat vestem, &c. ita ut actio sit gravior injuriosa. Idque etiamsi Clericus consentiat. Quia actio non idèò desinit esse injuriosa Ordini Clericali, in cujus favorem lata est excommunicatio, cap. 36. *de sent. excom.*  
 2. Qui concludit aut violenter detinet in carcere, vel loco unde sine dedecore exire nequit.  
 3. Qui persequitur, ut in flumen vel fossam incidat, equo decidat, &c. 4. Qui manus violentas injicit in equum, cui is insidet, occidendo

dendo, vulnerando, lædendo, sistendo per frænum, quæ actio est gravis in ratione contumeliæ, &c.

5. Hæc Excommunicatio non contrahitur.

1. Quando actio non est de se violenta, licet sit injusta, ut cum fur clam abscindit crumenam. Item si fiat sine violenta manuum injectione, ut cum verbis contumeliosis afficitur. 2. Si percussio sit jocosa, aut casualis, ut cum janitor vel apparitor arcens turbam, fortuito casu percutit Clericum in turba versantem, c. 3. *de sent. excom.* 3. Si nescias esse Clericum. 4. Si Prælati, Pater, Magister subditum in Minoribus constitutum correctionis causâ moderatè percutiat, habitâ ratione culpæ, quamvis ira accedat. Item qui alios è familia sua, vel propinquos in Minoribus constitutos leviter percussit, ut cohibeantur à suis violentiis, & scientiâ bonisque moribus imbuantur, c. 54. *de sent. excom.* imò Prælati, & Præceptor Ecclesiasticus potest in Majoribus constitutum correctionis & disciplinæ causâ castigare, c. 10. eod. Tit. modò per se, vel per alium si necessitas urgeat, castiget; non tamen per Laicum, alioqui contrahitur excommunicatio, c. 24. eod. 5. Si Clericus etsi culpabiliter percutiatur eo instanti, quo deprehenditur turpiter agens, hoc est actum quemvis impudicum exercens cum Matre, Uxore, Filia, vel Sorore percutientis: secus, si cum alia. Item si quis Clericum percutiat, ad defendendam vitam aut bona sua, cum debita moderatione, c. 3. *de sent.*



*de sent. excom.* 6. Si percutiatur Clericus; qui à privilegio Canonis, excidit, v. g. Bigamus, vel qui ter monitus non gestat habitum Clericalem.

6. Duplex distinguitur Clerici percussio etiam mortalis. Alia dicitur enormis ac gravis, & talis censetur vel ratione valde magnæ gravitatis ipsius percussionis; qualis est occisio, mutilatio, notabilis effusio sanguinis ex vulnere, carnis laceratio, dentium vel multorum capillorum evulsio: vel ratione eminentiæ personæ percussæ; ut si sit Episcopus vel Prælati, etiam si alapa tantum percutiatur.

Altera dicitur levis seu mediocris, scilicet comparatè ad enormem; & est ea, quæ nullam maculam, lacerationem carnis, mutilationem, copiosi sanguinis effusionem, nec dentium aut multorum capillorum evulsionem intulit, nec est contra Episcopum, Cardinalem, vel Prælatum, nec magnum scandalum parit.

1. Est reservata Papæ. 2. Episcopis, c. 17. *de sent. excom.* Prælati verò Religiosorum possunt absolvere suos se invicem percutientes, modò percussio non sit enormis. Quòd si Religiosus percussus non subiaceat eidem Superiori, percutiens debet à suo & percussi Prælati absolvi, c. 23. eod. Tit. Si Religiosus Clericum sæcularem percusserit, non potest absolvi nisi ab Episcopo, c. 21. *de sent. excom. in* 6. vel à Papa si percussio sit enormis.